MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80843-6

AUTHOR:

PRENZEL, KURT

TITLE:

DE THUCYDIDIS LIBRO OCTAVO QUAESTIONES

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1903

Master Negative #

92-80843-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Prenzel, Kurt, 1879-
De Thucydidis libro octavo quaestiones. Dissertatio inauguralis quam...defendet...Kurt Prenzel... Berolini, typis impressit E.Ebering, 1903.
54 p. 22 cm.

Thesis, Berlin. 1903.

Vol. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 10-21-92 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De Thucydidis libro octavo quaestiones.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IMPETRANDOS
DIE 9 M. V A. 1903
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
Kurt Prenzel. 1879-

ADVERSARII ERUNT
Rudolf Pohl, cand. phil.
Otto Schumann, cand. pro fac. doc.
Erwin Schiering, cand. pro fac. doc.

BEROLINI A. 1903
TYPIS IMPRESSIT E. EBERING.

Parentibus optimis.

Cum Thucydides operis, quod scripsit de bello Peloponnesiaco, loco noto (V, 26) se totum bellum descripturum esse dicat, nemo est, quin opus eius imperfectum esse concedat, neque enim ultra annum 411. rerum gestarum narratio deducitur. Praeterea autem dubitari non potest, quin singulae operis partes, — dico bellum Archidami, bellum Sicilicum, bellum Ionicum — non tam perfecte accurateque inter se contextae sint, ut quae exstant in unum redacta esse quispiam dicat.[1] Quod contra saepe graviterque contentum est partes operis non eadem esse ratione omnes, librum quintum inde a capite 25. usque ad finem, librum octavum non eodem modo esse perfectos atque ceteros, nondum ab omnibus conceditur. Inprimis de libro octavo inde a veterum temporibus multum dissertum est. Quod subito intercipitur narratio in mediis rebus, eo factum esse dicunt, quod mortuus sit Thucydides, priusquam opus ad finem perduxerit. Sed etiam ea libri octavi, quae scripta exstant, perpolita esse negaverunt, quod orationes directae insunt nullae. Multa et sermonis et rerum menda patefecerunt, quibus librum octavum perpolitum non esse demonstrarent. Contra alii iterum iterumque dixerunt omnibus eis causis rem ita esse

1. cf. Classen-Steup, Thukydides[4] pag. XXXVI; quae contra hoc iudicium scripsit E. Meyer, Forschungen II, pag. 269 seq. difficultates non auferunt.

non demonstrari. Orationes enim propterea non inesse narrationi, quod tanta fuerit materia, ut orationibus auctor rerum gestarum continuationem eventorumque cursum intercipere noluerit. Ea vero, quae parum sollicite narrata esse dicantur, neque gravia admodum esse et satis excusari, cum tot tantaeque res exponendae fuerint atque facta celeriter deinceps sequentia orationibus spatium non concesserint; nec non a ceteris libris incongruentia plane abesse.[2]

Cum ita inter se certent virorum doctorum sententiae, nobis denuo ad eam rem accedere licebit, ut, qualis sit liber octavus, cognoscamus, idque eo magis, quod nuper a viro doctissimo Eduard Meyer pronuntiatum est nulla re eum a ceteris differre nisi quod orationes directae absint.[3] Omittam igitur in hac quaestione orationes illas a nonnullis desideratas id unum spectans, utrum aliis rebus decerni possit librum octavum non perpolitum esse necne.[4]

---

2 Cf. Classen, Thukydides VIII². Vorbemerkungen, qui etiam reliquorum de Thucydidis libro octavo scripta collegit pagina IX. adnotatione 5.

3. Forschungen zur alten Geschichte, Band II. pag. 406 seq.

4. Sane quidem, qui offendebantur eo, quod orationes directae non insunt in hoc libro, recte mirati sunt hominem Atheniensem saeculi quinti non uno atque eodem genere scribendi usum esse per totum opus, cum illius aetatis homines permagni duxerint opera artis aequalia congruentiaque esse. Sed huius modi argumentum an in Thucydidem non adhibere liceat, cum dubium est (cf. Wilamowitz, Ar. u. Ath. II, p. 12 seq., Norden, Antike Kunstprosa I pag. 95 seq.), tum non omnibus persuadebitur.

I.

a.

Multa variaque sunt, quae libro octavo Thucydides descripsit. Narravit res gestas inde ab Atheniensium clade in Sicilia accepta anno 413. usque ad anni 411. finem. Quibus temporibus quamquam inprimis in Jonia pugnatum est, tamen, quod res bello gestae quam artissime cohaerent cum re publica Atheniensium commutata, Thucydidem modo Athenas modo in Joniam legentes ducere necesse erat.

Deinde cum non parvi esset momenti bello, quomodo Tissaphernes satrapes et Alcibiades se gesserint, eorum quoque rationem eum habere oportebat, et exponere, quae vellent quaequae animis agitarent. Omnia igitur bene inter se coniungere et confundere non parvae erat diligentiae neque omnibus locis auctori optime cessit. Quamquam enim, qua gravitate ab una ad alteram partem transeat, quam male haud raro res inter se conexerit, facile potest omitti, cum reliquis quoque libris hoc auctoris vitium inveniamus, quod „cum sermone quasi luctatur" Thucydides, tamen facere non possumus, quin alia dispositione nonnullis locis usum esse auctorem velimus, ne res tam subito imprudenterque ad nos accedant. Huiusce modi exemplum est in capite 9, 3, quo cum de Chiis ab Atheniensibus deficientibus disserat Thucydides, oligarches solos nesciente plebe insulam Peloponnesiis tradere voluisse narrat. Aptius pro-

fecto eius rei mentionem facere potuit, ubi in capite 5. primum de Chiis ab Atheniensibus dixit defecturis.

Cui simile exemplum invenimus in capite 13. In narrationem enim de Chalcideï et Alcibiadis in Joniam discessu (cap. 12) et adventu (cap. 14) inseruit Thucydides de classis Peloponnesiorum a Sicilia in Peloponnesum reditu relationem (cap. 13). Qua legimus Athenienses illam classem cum viginti septem navibus ad Leucadem insulam exspectasse. Quare autem rerum scriptor non iam antea una cum aliis Atheniensium belli apparatibus de hac re commemoraverit, intellegi non potest, praesertim cum timorem navium a Sicilia redeuntium magnum fuisse tradat in capite 1, 2.

Denique ut tertium huiusmodi exemplum addam commemorem ex capite 61, 2. demum apparere Astyochum Miletum non sine praesidio reliquisse, cum ipse Caunum ad Antisthenem proficisceretur, id quod iam in capite 41, 1. Thucydides narravit.

Valde miramur, quod interdum causas factorum, posterioribus locis cognoscimus quam facta ipsa. Ita in capite 45, 2. demum dicit Thucydides, quomodo acciderit, ut Tissaphernes stipendium Peloponnesiis solvendum minueret, cum de re ipsa iam capite 29. certiores facti simus.

Idem nobis occurrit in capite 38, 5. Dum enim Peloponnesiorum classis ad Miletum stationem habet, Atheniensium ad Samum, saepius Atheniensibus impetus in illos faciendi causa Miletum tendentibus Peloponnesii proelium nunquam exceperunt, neque prius cognoscimus, quam ob rem non exceperint, quam in capite 46, 5. Sed ad ea infra redibimus.

Ad talia sive minora sive maiora vitia alia accedunt. Statim mirum nobis videtur, quod intra librum

octavum ipsum non omnia eodem modo descripta sunt. Quae enim legimus: Alcibiadem apud Tissaphernem magna usum esse auctoritate, clandestina in Lacedaemonios consilia struxisse, effecisse, ut evenirent res quae evenerunt (cap. 45—54), Atheniensium rempublicam conversam esse, milites Sami iis restitisse (cap. 63, 2—77), Alcibiadem ducem creatum (cap. 81, 82), quadringentorum legatos a militibus Sami vix auditos (cap. 86), imperium illorum sublatum esse (cap. 89—98), omnia ea magnopere praestant iis, quae dicta sunt de rebus in Jonia gestis, de iis, quae ante bellum initum in Graecia quaeque postea in Peloponnesiorum castris ad Miletum acciderunt. Illa enim, quae primo enumeravimus, sic descripsit Thucydides, ut consilia ducum singulorum partiumque cognoscamus maxima arte usus, ut claram perspicuamque effigiem rerum eorumque, quae ex iis nata sunt, nobis efficeret. Contra eorum, quae deinde commemoravimus, nihil paene nisi res et facta narrat, quae cuique et audire et videre licebat, neque iis capitibus, quae acrius et maiore contentione tractare videtur, (83—84), quibus describit seditionem militum Peloponnesiorum sociorumque contra Astyochum excitatam, quicquam aliud dicit nisi ea, quae facta sunt. Neque quatenus dignus sit criminibus Astyochus, quibus compellatur a militibus, cognoscimus. Solos enim rumores inter milites dispersos Thucydides refert. Sed inprimis multis locis res bello gestae tam breviter narratae sunt, ut non facile sit omnia intelligere, ut plura ex silentio concludenda sint, quam aequum est.

Verba a nemine adhuc recte perspecta exhibent capitis 8. paragraphi 3. et 4.

Postquam enim Lacedaemonii eorumque socii consilio Corinthi habito primo Chium, deinde Lesbum, postremo in Hellespontum Atheniensibus bellum inferre

decreverunt, primum quidem dimidiam navium longarum partem e sinu Corinthiaco trans Isthmum in sinum Saronicum transvehi voluerunt. Quae statim proficiscerentur, *ὅπως μὴ οἱ Ἀθηναῖοι πρὸς τὰς ἀφορμωμένας τὸν νοῦν μᾶλλον ἔχωσιν ἢ τὰς ὕστερον ἐπιδιαφερομένας. καὶ γὰρ τὸν πλοῦν ταύτῃ ἐκ τοῦ προφανοῦς ἐποιοῦντο, καταφρονήσαντες τῶν Ἀθηναίων ἀδυνασίαν, ὅτι ναυτικὸν οὐδὲν αὐτῶν πολύ πω ἐφαίνετο.*[5]

Haec fortasse eis verbis Thucydides dixit: Peloponnesii, quod nusquam Atheniensium classis aliqua esset, quam timerent, minime studebant, ut clam hostibus naves Isthmum transportarent. Sed ne Athenienses se Chium profecturos esse animadverterent, celeritate usi sunt. Dimidiam autem partem navium retinebant, ut Athenienses, si tamen consilia perspexissent, omni vi Chium contendere prohiberentur. — Quae si vera sunt, nemo erit, quin concedat eum ut in opere perpolito breviter obscureque scripsisse. — Capite 22. cognoscimus Chios, ut alios Atheniensium socios ad suas partes adducerent, cum tredecim navibus Lesbum insulam vectos esse, cum exercitus Peloponnesiorum sociorumque eodem tempore in ora iter faceret: *καὶ ὁ πεζὸς ἅμα Πελοποννησίων τε τῶν παρόντων καὶ τῶν αὐτόθεν συμμάχων παρῄει ἐπὶ Κλαζομενῶν τε καὶ Κύμης.*[6] Cuius exercitus Peloponnesii non esse

5. Haec verba corrupta esse, ut nonnulli voluerunt (cf. quae scripsit Classen in adnotationibus ad hunc locum) minime consentio.

6. Quod his verbis aperte demonstratur Chios una cum Peloponnesiis expeditionem illam suscepisse, fieri non potest, ut initio eiusdem capitis verba *ἄνευ τε Πελοποννησίων πλήθει παρόντες* recte codicibus tradita sint. Contra quae Hude scripsit: *ἅμα τε Πελοποννησίων πλήθει πειρῶντες* probabiliora esse videntur; tamen etiam hoc modo nihilo minus totus locus iis adscribendus erit, quibus „quasi luctatur cum sermone“ Thucydides.

possunt nisi ei, quos ab Alcibiade et Chalcideo Chii praesidio urbi relictos esse in capite 17, 1. legimus, quamvis Thucydides non diserte dicat eos navibus in oram Joniae traductos esse. Cum expeditio illa non bene cessisset (cap. 23, 5), naves quae supererant, Chium redierunt et *ἀπεκομίσθη δὲ πάλιν κατὰ πόλεις καὶ ὁ[ἀπὸ τῶν νεῶν] πεζός, ὃς ἐπὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἐμέλλησεν ἰέναι.*[7] Quamquam etiam hoc loco non inveniatur milites Peloponnesios, de quibus supra dictum est, rursus Chium traductos esse, tamen id factum esse oportet, quia in capite 32, 2. eos Chii esse legim.us Solum id miramur, quod hoc loco de iis dicitur, quasi nunquam insula discesserint.

Initio capitis 39. legimus: *ἐκ δὲ τῆς Πελοποννήσου ἐν τῷ αὐτῷ χειμῶνι αἱ τῷ Φαρναβάζῳ Καλλιγείτου τοῦ Μεγαρέως καὶ Τιμαγόρου τοῦ Κυζικηνοῦ πρασσόντων παρασκευασθεῖσαι ὑπὸ Λακεδαιμονίων ἑπτὰ καὶ εἴκοσι νῆες ἄρασαι ἔπλεον ἐπὶ Ἰονίας κ. τ. λ.*

Calligitus et Timagoras a Pharnabazo missi eodem tempore Spartam venerant, quo Tissaphernes res cum Lacedaemoniis contra Atheniensium in Jonia socios agebat, ea mente, ut cum Pharnabazo foedere facto in Hellespontum cum exercitu venirent Lacedaemonii in Hellespontum cum exercitu venirent (cap. 6, 1). Lacedaemonii autem ad Tissaphernem se adiunxerunt et initio anni sequentis, ut Chiis auxilio venirent, paraverunt. Itaque Pharnabazi legati cum argentum Lacedaemoniis non solverent, postea suis viribus consiliisque aliud bellum suscipere constituerunt. (cap. 8, 1.) Quamquam nullo alio loco de iis eorumque

7. Ita locum legendum esse cum viris doctissimis Poppo et Stahl existimo.

consiliis quidquam refert Thucydides, tamen ex hoc loco apparet eos denuo cum Lacedaemoniis egisse.

Capite 58. legimus verba tertii foederis inter Persas et Peloponnesios facti. Cum autem id foedus Peloponnesii ineant cum Tissapherne, Hieramene, Pharnacis filiis, ut verba praescripta demonstrant, fieri non potest, quin omnes ei viri aut ipsi foederi ineundo affuerint aut certe eorum legati. Tamen Thucydides neminem nisi Tissaphernem affuisse auctor est (57, 2). Sed ad eam rem infra redibimus.

In capite 95. narrat Thucydides classem Lacedaemoniorum Oropum profectam esse. Itaque quam celerrime Athenienses Euboeae tuendae causa Eretriam naves longas misisse; pergit auctor: *ὧν ἀφικομένων ξὺν ταῖς πρότερον ἐν Εὐβοίᾳ οὔσαις ἓξ καὶ τριάκοντα ἐγένοντο.* Quibus de aliis navibus, quae iam antea ad Euboeam fuerint, nihil scimus. Quod enim Classen comparat, quae legimus in capitibus 74, 2. et 86, 9. nullius momenti est, nam illis locis una tantum et utroque loco eadem navis commemoratur, hoc autem loco complures naves ad Euboeam fuisse Thucydides dicit. Qua ex re igitur apparere mihi quidem videtur Athenienses Euboeae urbes defecturas esse suspicatos (cf. cap. 1, 3.), iam antea complures naves eo misisse.

Deinde etiam cladem illam, quam Corinthios a praesidio Oenoae collocato accepisse in capite 98, 2. scriptum habemus, quando Corinthii acceperint, Thucydides tacet.

Quod in capite 107, 2. Peloponnesios paulo post pugnam ad Cynosema commissam Elaeuntem profectos esse legimus, unde naves suas ab Atheniensibus pugna captas abducerent, manifestum est Athenienses eo naves captas transportasse, quamquam nihil de hoc facto Thucydides dicit. Neque id solum, sed ne

Athenienses inde rursus Sestum profectos esse quidem et inde quarto die postquam proelium commissum erat, Cyzicum venisse refert (cap. 107, 1 Classen).

De Atheniensium ducibus minus accurate nonnullis locis agitur. Strombichides quamquam cum octo navibus in Joniam venit (cap. 15, 1), tamen postea in numero eorum est, qui ab Athenis triginta quinque naves adduxerunt (cap. 30, 1). Itaque eum aut Athenas interim redisse necesse est aut alterum huius nominis Atheniensem exstitisse.[8] Si redisset, Thucydidem id commemorare, si duo fuissent eodem nomine Athenienses, eum patrum nomina utrique adscribere aequum fuit, etiamsi paucis omnino viris hoc libro ea tribuit. Ego quidem non alterum Strombichidem tum Athenis ducem fuisse, sed eundem interea Athenas revertisse existimo. Alio enim loco de duorum ducum Athenas reditu nihil dicat. In capite 54, 3: legimus Leontem et Diomedontem in Phrynichi et Scironidis locos classis duces ab Atheniensibus suffectos esse. Uterque autem aestate eiusdem anni iam Samum venerat (cap. 19, 2. et 23, 1.) neque usquam eos Athenas redisse refertur. Quodsi tamen eos Athenis esse cognoscimus, opinari nobis liceat eos fuisse in numero legatorum, qui cum Pisandro ab Atheniensium exercitu Samo Athenas missi sunt, ut de reditu Alcibiadis cum Atheniensibus in urbe consulerent (cap. 49).

Brevitate, qua usus Thucydides res bello gestas descripsit, factum est, ut multis locis de utriusque partis et Atheniensium et Peloponnesiorum classibus non satis accurate doceamur.[9] Inspiciamus singillatim

8. Id putat Herbst, Rückkehr des Alkibiades pag. 53.

9. Qua de re saepe ab interpretibus disserta imprimis plane scripsit Mewes, Programm der Ritterakademie zu Brandenburg 1868 pag. 20 seq.

navium Atheniensium numeros.[10] Primo Strombichides (cap. 16, 1) cum octo, deinde Thrasycles cum duodecim navibus Samum profecti (cap. 17, 3) cum undeviginti navibus Miletum aggrediuntur. (cap. 17, 3.) Unam igitur navem Sami eos reliquisse putabimus (cf. Classen). Postea cum Diomedon (cap. 19, 2) cum sedecim et paulo post Leon cum decem navibus (cap. 23, 1) in Joniam venissent, ii cum viginti quinque navibus Lesbum profecti sunt, (cap. 23, 1) quamquam omnino viginti sex navibus praefecti advenerant. Deinde quod in capite 24, 1. legimus Athenienses cum viginti navibus ad Miletum esse, cum antea cum undeviginti tantum adessent, verisimile videtur esse illam unam, quam a Strombichide et Thrasycle Sami relictam esse arbitramur, eo vectam esse, ut Diomedontem advenisse iis nuntiaret. Diomedon autem et Leon Lesbum profecti ex navibus suis unam fortasse Sami reliquerunt, quod ea cum insula, in qua una Athenienses niti poterant, coniunctos eos manere summo erat momento. Sub finem eiusdem aestatis Athenis duodequinquaginta naves advenerunt, (cap. 25, 1) in iis etiam naves onerariae, quibus milites transportati erant, neque multo post denuo triginta quinque ab Atheniensibus in Joniam missis, Thucydides summam omnium ibi collectarum navium centum quattuor fuisse dicit (cap. 30, 1 et 2). Quod autem omnino centum undetriginta naves paulatim in Joniam venerant, viginti quinque numerum onerariarum illarum fuisse necesse est, si Thucydidem recte summam omnium tradidisse arbitremur.[11] Quarum centum quattuor navium, cum triginta contra Chios mitterentur, septuaginta quattuor Sami remanserunt. In itinere tribus

10. Cf. Herbst, l. c. pag. 55 seq. Mewes, l. c. pag. 24 seq.
11. Cf. contra Herbst, l. c. pag. 52.

tempestate amissis (cap. 34) cum viginti septem Athenienses Chium venisse oportuit, sed in capite 61, 3. triginta duas naves ibi esse legimus neque ullo loco Thucydides quinque naves illis aliis auxilio venisse narrat.

Eodem modo neque de classe Sami relicta satis accurate certiores nos fecit. Septem enim navibus cum illis septuaginta quattuor coniunctis (cap. 39, 3) et sex proelio ad Symam insulam facto amissis (cap. 42, 4), hanc classem ex septuaginta quinque navibus constare oportebat. Tamen in capite 79, 2. octoginta duas naves ad Samum insulam fuisse comperimus neque ullo loco dictum est, unde quandoque septem naves ad illas septuaginta quinque accesserint.

Deinde nuntio allato Abydum et Lampsacum ab Atheniensibus ad Peloponnesios defecisse, Strombichides quam celerrime a Chio insula in Hellespontum cum viginti quattuor navibus profectus est. (cap. 62, 2.) Qui cum postea ex Hellesponto Sami Atheniensibus contra Astyochum auxilio venisset, classis eorum ex centum sex navibus constare debebat; tamen Thucydides narrat eo facto numerum navium longarum fuisse centum octo (cap. 79, 6) neque hoc loco scimus, unde duae illae iustum numerum excedentes naves venerint. (cf. Classen.)

Vertamus nos ad Peloponnesiorum classem accuratius perspiciendam.[12]

Chalcideo cum quinque navibus in Joniam profecto (cap. 12, 3) et Astyocho cum quattuor secuto (cap. 23, 1) paulo post sex aliae advenerunt (cap. 23, 5). Cum denique Therimenes quinquaginta quinque (26, 1), Hippocrates duodecim adduxisset (35, 1), earum sex clade ab Atheniensibus accepta amissae

12. Cf. Herbst pag. 57. seq. Mewes, pag. 20 seq.

essent (cap. 35, 3), Astyochum ducem septuaginta sex navibus praefuisse e Thucydidis narratione concluditur. Sed hic numerus rectus non est. Cum enim paulo post e Peloponneso viginti septem naves Caunum venissent (cap. 41, 1), Astyochus iis obviam vectus est duodecim navibus Mileti relictis (cap. 61, 2). Quas inter naves duae erant, quarum nondum Thucydides mentionem fecit, altera Anaeae urbis, altera Mileti. Astyochum igitur cum sexaginta sex navibus Cannum profectum esse opinemur. Quarum tribus perditis proelio ad Symam insulam commisso (cap. 42, 3) reliquas coniunxit cum illis viginti septem (cap. 42, 5). Quo facto cum Astyochi classem ex nonaginta quattuor navibus constitisse Thucydides tradat, (cap. 44, 2) classem, antequam Caunum profectus est Astyochus, sex navibus maiorem fuisse apparet quam e Thucydidis dictis concludi poterat. Sed neque hunc numerum rectum esse e capitis 79. paragrapho prima sequitur; quo loco legimus Astyochi classem constitisse ex centum duodecim navibus, id est sex navibus maiorem eam fuisse, quam putabamus. Omnino igitur Astyochus octoginta octo navibus praefuisse videtur, antequam Mileto discessit. Quarum septuaginta sex a Peloponnesiis eorumque in Graecia, in Sicilia, in Graecia magna sociis, altera ab Anaeatis, altera a Milesiis armatae erant; decem reliquas quamquam de eis nos certiores non facit Thucydides, tamen existimare liceat eas ab aliis Joniae, quae ab Atheniensibus ad Peloponnesios defecerant, urbibus ornatas esse.[13]

Deinde etiam de classe Peloponnesiorum in Hellespontum profecta Thucydidem minime accurate dixisse videmus.

13. Cf. Herbst l. c. Mewes pag. 23.

Aestate anni 411. decem Peloponnesiorum naves in Hellespontum venisse legimus in capite 80, 3.; quibus de navibus nihil amplius dictum est. Tum in capite 99, 2. narratur sedecim alias naves eo profectas esse eadem aestate, quas paulo post (cap. 102, 2). Abydi invenimus. Itaque ad Miletum octoginta sex naves remansisse nos concludere necesse est. Tamen e capitis 99. paragrapho altera cognoscimus septuaginta tres tantum naves a Mindaro duce in Hellespontum a Mileto ductas esse. De reliquis tredecim cum nihil dicat auctor, nescimus, utrum Mileti relictae an iam antea in alium nescio quem locum missae sint.[14] Illis autem sedecim, quas supra diximus, navibus cum suis coniunctis Mindarum octoginta sex habuisse auctor enuntiat (cap. 103, 1); duas enim ab Atheniensibus, qui Mindari classem persecuti essent, captas esse, statim ex hoc loco in capite 103, 2. legimus, ut una navis restet, quae ubi sit non dictum est (cf. Classen).

b.

Transeamus nunc ad alia libri octavi vitia, quae non ad describendi modum sed ad res spectant. Nam quae adhuc collegi, in universum ea non sunt, quibus solis librum octavum imperfectum esse certe dici possit, nisi alia maiora vitia accedant. Ac primum quidem disseram de nonnullis rebus, quas omnio omisit auctor.[15] Sane quidem recte dixit E. Meyer l. c. pag. 368: „Man darf nie vergessen, — — —

14. Diodorus XIII, 38 narrat, tredecim naves Dorieo duce a Mindaro Rhodum missas esse. cf. Classen ad Thuc. VIII, 99, 2.

15. Ut ad ea animum intenderem U. von Wilamowitz-Moellendorf me incitavit.

dass die Grenze dessen, was als geschichtlich bedeutsam anzuerkennen und einer Berücksichtigung für würdig zu erachten ist, ausschliesslich subjektiver Natur ist." Cum autem aliis operis partibus intellegamus Thucydidem summo iudicio perspexisse res, utrum dignae fuerint, quae narrentur, quod rerum progressus iis perlustretur, necne, eo magis mirabimur, quod idem, quem E. Meyer ipse appellat „ein Ideal peinlicher Gewissenhaftigkeit", (pag. 289) hoc libro res quam gravissimas silentio praetermisit.

Desideramus audire, Archelaus, rex Macedonum, quomodo initio belli Jonici se gesserit. Qui anno a. Ch. 413. regnum iniit et statim Atheniensium amicitiam appetivisse et fovisse videtur. Neque enim impediebat, ne ligna ad naves aedificandas e suis finibus Athenas exportarentur (Andoc. II, 11). Thucydidis fuit uno minimo verbo id commemorare, quod undique hostibus in Athenienses exortis illius amicitia haud erat contemnenda.

Aliud maius vitium est, quod non refert, quo statu res Asiaticae fuerint, cum bellum eo transferretur. Si ulla re, ea prohibemur, ne rerum progressum, ne rei publicae Atheniensis illius temporis statum dilucide cognoscamus.[16] Quas proximis annis aliquantum commutatas esse vel inde apparet, quod Ephesii, qui anno 416. etiam cum Athenis foedere sociati fuerant (Satyros frg. 1., Plut. Alcib. 12), anno 412. a Persarum parte stabant (cap. 19, 3). Quando ab Atheniensibus defecerint, etsi neque a Thucydide neque ab alio quodam tradatur, tamen haud multo post annum 416. id evenisse verisimile est.[17] Sine dubio enim tum,

16. Cf. quae dixit E. Meyer l. c. pag. 376.

17. Cf. Guhl, Ephesiaca pag. 43.

cum Athenienses quasi defixi unum id spectarent, ut Siciliam totasque occidentis solis terras subigerent,[18] Persarum regis satrapae conabantur, oras maritimas totius Asiae denuo regno addere.[19] Ad id impediendum Athenienses cum Amorge contra regem foedus icerunt. Quo uno modo illam societatem perspicimus: Athenienses tam stulti, quam Andocides 2, 29. eos esse iudicavit, quasi sine causa Amorgis societatem regi Persarum praeferrent, certe non erant. Quod autem E. Meyer contendit (Gesch. d. Alt. vol. IV pag. 524) Athenienses illo tempore Amorge adiutore urbes Asiae ab ora remotas recuperare voluisse eas, quae post bellum cum Samiis gestum voluntate sub Persarum potestatem redierant, comprobare non possum: qui fieri potest, ut eo temporis momento, quo omnibus viribus in Siciliam uterentur, Athenienses bellum cum rege suis voluntatibus inciperent? — Quomodo res in Asia illis annis se habuerint, fortasse planius apparebit, cum singularum urbium res pertractatae erunt.

Iisdem annis neque alterum Asiae satrapes[20] in sua satrapia segnem fuisse verisimile videtur, quamquam Thucydides tacet. Deliberandum vero est omnino perpauca nos audire de rebus ad Hellespon-

18. Cf. Droysen prooemium ad Aristophanis aves.

19. Fortasse iam tum Phocaea quoque, Cumae, Cnidus ab Atheniensibus ad Tissaphernem transierant. (cap. 31, 3 et 35, 1.) Cnidum quidem per Tissaphernem ab Atheniensibus abalienatam esse constat, de Phocaea et Cumis quamquam nescimus, tamen nulla re argui potest, eas urbes anno 412. demum ad Peloponnesios defecisse, ut omnes putant. (Cf. Classen.)

20. Anno 414. etiam Pharnaces, Pharnabazi pater, munus obtinebat. Cf. Aristophanis aves v. 1028,

tum gestis, donec Mindarus eo venit. (cap. 62. 80.) Apud Lysiam (XII, 42.) legimus Eratosthenem, antequam Athenis populi imperium eversum sit, ad Hellespontum, ut milites classis oligarchibus propitios redderet, studuisse. Quod eo tempore classis ibi versatur, de qua Thucydides nil narrat,[21] rerum status periculosior erat, quam eius descriptione apparet.[22]

Denique nullo verbo commemorantur proelia vere anni 411. in Boeotia commissa, quae significat [Lysias] pro Polystrato § 4.[23]

Quaerentibus vero, qui fieri potuerit, ut Thucydides eas res sine dubio memoria dignas omiserit, respondendum est eum nondum eas comperisse neque, cum quae exhibet liber octavus chartis mandaret, materiam colligendi finem fecisse. Nequaquam autem earum sunt, de quibus dici possit: „minima non curat praetor.“[24]

c.

Aliud vitiorum genus patefecit Holzapfel. Quamquam video eum virum doctissimum diligenter ea

---

21. Eratosthenes hieme anni 412. in Hellesponto fuit, eodem tempore, quo etiam Sami primum de rebus Athenis commutandis consultum est.

22. In eadem Aristophanis comoedia, anno a. Chr. 414. in scaenam missa, dicit episcopus ille (vers. 1028). ἔστιν γὰρ ἃ δι᾽ ἐμοῦ πέπρακται Φάρνακῃ. Nisi id poetae inventum quoddam est, eo versu iudicium nostrum affirmatur, quo inde a bello Sicilico Asiae satrapes in oras maritimas progressos esse diximus: quare Athenienses cum Pharnace res egerunt.

23. Cf. von Wilamowitz-Moellendorf, Aristoteles und Athen II, 363, 17.

24. Cf. E. Meyer, Forschungen II, pag. 286.

pertractasse,[25] tamen graviora sunt iis quae sequuntur, quam ut sufficere possit illum citare auctorem, ut potius accuratius ea exponenda sint, praesertim cum nonnulla, quae scripsit Holzapfel, probari non posse mihi quidem videantur.

Ac primum quidem agitur de stipendio a Tissapherne Peloponnesiis minuto. (cap. 29. et 45. cf. pag. 8.)

Initio enim hiemis anni 412. Iaso oppido expugnato et Amorge, qui a rege Persarum defecerat, capto Tissaphernes Miletum ad exercitum classemque Peloponnesiorum venit stipendii, quod Spartae promiserat, dandi causa. Promiserat autem, id quod ex initio capitis apparet, se cuique militi drachmam in diem soluturum esse atque ita, ut in menses pecuniam daret. Ex eo tempore autem quamquam tres obolos tantum solvere in mente habebat, tamen consilio cum Peloponnesiorum ducibus habito Hermocrate, Syracusanorum duce, auctore ei persuasum est, ut tribus obolis paulo plus solveret ita, ut in mensem quinquaginta quinque navibus triginta talenta penderet.

Eadem ergo res refertur in capite 45., cum auctor Alcibiadis clandestina contra Peloponnesios consilia pertractet. Alcibiade auctore Tissaphernem stipendium minuisse, ut drachmae loco tres obolos tantum solveret neque eos constanter. Quam rem eo defenderet Tissaphernes, ut diceret Athenienses rei navalis peritiores idem facere, ne milites, si tantam pecuniam haberent, naves desererent aut opulentius viverent. Militum tribunos Tissaphernem Alcibiade

---

25. Doppelte Relationen im VIII. Buche des Thucydides, Hermes XXVIII, 1893 pag. 435 seq.

auctore pecunia corrupisse, ne recusarent, solum Hermocratem pro toto exercitu restitisse.

Dubitari non potest, quin in capite 45. res eaedem sint, quae in capite 29. Atque profecto mirum videtur, quod eandem rem bis narrat Thucydides, sed magis mirandum est, quod differunt inter se narrationes. Nam ut omittam illa narratione non dictum esse, qui factum sit, ut Tissaphernes stipendium minueret Peloponnesiorumque duces praeter Hermocratem non resisterent, illa Tissaphernes stipendium minutum iam non in menses pendere volebat — nam ita verba μὴ ξυνεχῶς (cap 45,2.) intellegenda esse, non ut Classen dicit „non in dies", vel inde apparet, quod iam antea stipendium in menses solvebatur (cap. 29, 1.) — hac Hermocrates recusando tantum consecutum esse, ut tribus obolis paulo plus solveretur, non narratur.

Quo factum sit, ut duas inter se non congruentes de ea re relationes in Thucydidis descriptione inveniamus, infra exponemus, cum aliud huiusmodi exemplum tractaverimus.

De Tissapherne enim non omnibus locis congruentia dicta sunt. Postquam inter Peloponnesios et Tissaphernem propter foedera et cum Chalcideo (cap. 18.) et cum Therimene (cap. 37.) facta discordia orta esset (cap. 43, 3—4.), Alcibiadem magnopere studuisse, ut Tissaphernem Atheniensibus amicum redderet. (cap. 52.) Tissaphernem autem quamquam a consilio societatis cum Atheniensibus ineundae non alienus fuisset, tamen Peloponnesiorum timore ductum dubitasse, quid faceret. Etiam in capite 56, 2—3. legimus Tissaphernem Peloponnesios timuisse. Quem timorem

apparet obstitisse, ne cum Atheniensibus societatem iniret.

Sed reliquis locis aliter de Tissaphernis animo atque sententia refert Thucydides. Omni enim modo Tissaphernes operam dabat, ne bellum celeriter componeretur, quod Peloponnesios et Athenienses invicem se deleturos esse sperabat, si bellum duceretur, Itaque id semper agebat, ut vires adversariorum pares essent (cap. 46, 1. et 5. cap. 56, 2.). Quamdiu ergo Peloponnesios superiores esse putabat, pugna eos prohibebat (cap. 46, 5.). Eadem sunt studia Tissaphernis in capite 57.

Eo loco eum non Peloponnesios, sed Athenienses superiores putasse legimus. Quapropter denuo societatis cum Peloponnesiis ineundae consilium eum cepisse timentem ne pugna navali ab Atheniensibus vincerentur, nisi ipse eos adiuvisset. Quo cognito consentaneum est duas Tissaphernis de utriusque partis viribus sententias Thucydidem tradidisse easque non congruentes. Utram autem probemus, non est dificile diiudicatu. Tissaphernes enim si Astyochum adiuvandum esse putat, ut Atheniensibus viribus par sit, quo tempore Antisthenes illi auxilio venerat, fieri non potest, ut Peloponnesios superiores esse putaverit, antequam venit; neque venerat, cum Peloponnensios ad Miletum pugna navali prohibuit. (cap. 46, 5.)

Quas discrepantias ortas esse, quod complurium virorum relationibus usus Thucydides librum octavum scripserit, manifestum est, atque magna sagacitate Holzapfel de ea re disseruit l. c.

Redeamus nunc ad stipendium illud a Tissapherne minutum.

Quae in capite 29. referuntur, rem factam esse

cur facta sit, non addito, una cum rerum hiemis initio 412/11. gestarum narratione usque ad illud tempus, quo Peloponnesii Rhodi navibus subductis manent, data esse videmus. (cap. 29—44.) Non errabimus, si virum Peloponnesium de iis, quae in castris Peloponnesiorum acciderunt, Thucydidem certiorem fecisse putabimus; nam praeter virum Peloponnesium nemo nisi Alcibiades res penitus perspicere potuit. (cf. cap. 29., 32., 36., 40., 41., 43., 2.—4.) Illum autem aliter sensisse ex altero loco apparet, quo de stipendio minuto dictum est. Conexum est is cum iis, quae Alcibiade auctore apud Tissaphernem, Sami, Athenis acciderunt. (cap. 45.—54.) Consentaneum est de his rebus virum Atheniensem Thucydidi nuntios attulisse. Quis enim praeter Atheniensem de omnibus illis Sami Athenisque rebus actis atque de Alcibiadis consiliis tam accurate instructus esse potuit?

Holzapfel Thucydidis a Peloponnesiorum parte auctorem paulo acrius se notare posse putat: e relatione enim, ut ita dicam, Atheniensi intellegimus Tissaphernem Peloponnesiorum praefectos militum, ne aegre ferrent stipendium minutum, pecunia sibi conciliavisse. (cap. 45, 3.) In relatione autem Peloponnesiaca (cap. 36, 1.) legimus Peloponnesios paulo antequam Astyochus Miletum venit, tempore quo stipendium iam minutum erat, satis stipendii accepisse. Itaque constat id cum Thucydide communicavisse, qui stipendium minutum militibus sufficere putaverit: profecto autem non ineptum videtur opinari unum e praefectis illum fuisse. Cum verisimile iam porro sit ab eodem viro Thucydidem et de rebus in castris Peloponnesiorum gestis capite 29. et capite 36 narratis certiorem factum esse, etiam de stipendio minuto praefectus ille militum retulerit. Quae si ita se

habent, luce clarius est, quare in capite 29. non insit Tissaphernem pecunia militum praefectos corrupisse.

Deinde quod Tissaphernis de Atheniensium et Peloponnesiorum viribus sententia non eadem est omnibus locis, item eo accidit, quod Thucydides, quae narravit, et a Peloponnesiis et ab Atheniensibus petivit.

Peloponnesios esse superiores Tissaphernem putasse tribus locis scriptum habemus, in capitibus 46, 5., 52., 56, 2. Quorum duo et capitis 46. et 52. insunt in relatione illa Atheniensi inde a capite 45. usque ad caput 54. Tertius cum insit in iis, quae de rebus ab Atheniensibus cum Tissapherne actis dicta sunt, et ipse relatione Atheniensi continetur: nam non nisi Atheniensem earum rerum auctorum fuisse nemo est, quin dicat. Sed ut earum rerum narratio repetita sit a Peloponnesiis, tamen nil eo efficeretur, quod verba *οὐ γὰρ αὐτῷ (Ἀλκιβιάδῃ) πάνυ τὰ ἀπὸ Τισσαφέρνους βέβαια ἦν, φοβουμένου τοὺς Πελοποννησίους μᾶλλον, κ. τ. ε.* spectant ad ea, quae in capite 52. dixit Thucydides: *Μετὰ δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης μὲν Τισσαφέρνην παρεσκεύαζε καὶ ἀνέπειθεν ὅπως φίλος ἔσται τοῖς Ἀθηναίοις, δεδιότα μὲν τοὺς Πελοποννησίους . . . κ, τ, λ,*

Contra caput 57., quo Tissaphernem Athenienses timuisse intellegimus, ad Peloponnesium quendam auctorem spectat, cum eo narretur, quomodo tertium Tissaphernes cum Peloponnesiis foedus perfecerit.

Quae cum ita sint, libro octavo cognosci potest, quomodo Thucydides opus suum composuerit. Videmus enim ab utraque parte ei nuntios allatos esse, quod ipse locis notis commemorat: I, 22, 2. *τὰ δ᾽ἔργα τῶν πραχθέντων . . . . περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών* et V, 26, 5. *ξυνέβη μοι . . . . γενομένῳ παρ᾽ ἀμφοτέροις τοῖς πράγμασιν . . . . καθ᾽ ἡσυχίαν τι αὐτῶν μᾶλλον αἰσθέσθαι.*

Quod autem duas inter se non congruentes relationes, alteram Peloponnesiacam alteram Atheniensem, discrevimus, tantum abest, ut eo acquiescamus, ut contra etiam plura dispicere possimus, quibus liber octavus quomodo compositus sit cognoscamus. Holzapfel ea via iam progressus et Peloponnesiorum et Atheniensium binos discernit auctores. Quod in Atheniensibus relationibus duos Thucydidis auctores se cognoscere dixit, sane recte fecit atque nos eum probabimus, si eum secuti contulerimus ea, quae Thucydides in capitibus 82. et 86. de Alcibiade retulit.

In capite 82. legimus Athenienses cum Alcibiade duce creato statim Piraeum proficisci in animo habuissent, ab Alcibiade impeditos esse, ne id facerent.

Capite 86. contra et alia et haec legimus, quomodo quadringentorum Athenis legati cum exercitu et Alcibiade Sami res egerint. Legati quamquam mitius locuti milites cum quadringentis reconciliare conabantur, tamen prohibere non potuerunt, ne militum ira atque indignatio in ipsos converteretur. Tum Alcibiadem, cum magna vi milites ut Piraeum ducerentur appetivissent, primum bene meritum esse de re publica Atheniensium. Impedivisse enim, ne id fieret, milites adhortatum, ne consilium tam periculosum ineptumque inirent (cap. 86, 4—6). Conspicuum est utroque loco idem Alcibiadis factum narrari: nam qui fiat, ut in capite 86. Thucydides tum primum Alcibiadem bene de Athenis meritum esse dicat, cum in capite 82. legamus Alcibiadem iam antea idem fecisse propter quod in capite 86. a Thucydide laudatur? Accidit ergo, ut idem factum a Thucydide bis narratum sit, propterea scilicet, quod a duobus viris Thucydidi de ea re nuntiatum est,

quorum uterque alio tempore atque aliis condicionibus rem evenisse tradidit. Quomodo autem factum sit, ut rerum scriptor utramque relationem operi suo inseruerit, infra tractabitur, nunc satis sit demonstrasse in iis rebus, quae ab Atheniensium parte Thucydidi traditae sunt, duos auctores discerni posse.

Peloponnesios contra Thucydidis auctores disiungere difficilius est. Statuit Holzapfel alterum Astyocho, Peloponnesiorum duci, amicum, alterum inimicum.

Legimus Astyocho crimini datum esse, quod ad Miletum quamquam viribus superior in Athenienses impetum non fecisset atque ideo bellum produxisset (cap. 78, 1). Quocum si contulerimus, quod in capite 46, 5. scriptum videmus Tissaphernem, ne bellum celeriter conficeretur, Peloponnesios prohibuisse Athenienses aggredi pollicitum classem Phoenicum brevi tempore adventuram esse, non ineptum esse videretur fidem habere iis, quae Thucydides duobus locis de Astyocho dixit, rumorem exstitisse Astyochum a Tissapherne pecunia corruptum esse (cap. 50, 3 et 83, 3). Deinde si addiderimus eum diu commoratum esse antequam Chios ab Atheniensibus gravi obsidione pressos precibusque eum fatigantes adiuvare constituerit (cap. 40, 3), si denique consideraverimus, quomodo se gesserit, cum Phrynichus, Atheniensium dux, classis prodendae causa bis ad eum litteras misisset (cap. 50), non dubitabimus rumori a Thucydide tradito fidem habere. Holzapfel quidem cum illis Astyochi criminibus comparans, quae omnino ille fecerit, quomodo se bello gesserit, ex re ipsa demonstrare conatur, cur Peloponnesiorum dux ad Miletum cunctatus sit hostes aggredi, quare Chios non adiuverit, quare Alcibiadi Phrynichi ducis con-

silia perfida nuntiaverit, ut eum a Tissapherne pecunia corruptum esse accipere non cogamur.

Quomodocunque autem res vere se habet, utrum crimini fidem habeamus necne, ad tempus quidem intermittendum nobis est, quod solum id quaeritur, utrum Thucydides ea, quorum Peloponnesii ei auctores sunt, ita inter se coniunxerit, ut descriptio una atque omnibus locis sibi constans sit necne: nam, si nonnullis locis sententias de rebus vel personis inter se discrepantes cognoscimus, complurium Thucydidis auctorum relationes discernere possumus, quod accidit in iis, quorum Athenienses auctores fuerant.

Quod in Lacedaemoniorum parte per Astyochum maxime anno 412/11. res gestae sunt, is primas partes agit in iis, quae Thucydides Peloponnesios auctores secutus de bello Jonico scripsit. Qua descriptione in universum Astyochus non egregium se praebet (cf. pag. 55—56). Antequam enim Miletum advenit, haud ita bene res ei successerant, quod parvae tantum classi praefuerat, sed etiam postea magna classe accepta Athenienses aggredi non ausus est. Deinde cum in tempus quoque reliquum nihil nisi minora susciperet, milites irati eum incusaverunt, quod a Tissapherne pecunia corruptus bellum duceret, neque multum afuit, quin seditione orta lapidibus obrueretur. Sed certum de Astyocho sententiam Thucydides nullo loco dixit, quo animo fuerit, quibus consiliis ductus res gesserit, legentibus potius opus est ipsos ex rebus iudicium de Astyocho sibi parare. Tamen Thucydidem qua sententia fuerit intellegere possumus ex ea re, quod duobus locis commemoravit rumorem, quem supra diximus de Astyocho ortum. Inde apparet nuntios, quos de duce a Peloponnesiis Thucydides acceperat, illi non favisse. Sed in capitis

41. paragrapho prima legimus verba notabilia, quibus commotus Holzapfel suspicatus est aliquem Astyocho amicum Thucydidis auctorem inter Peloponnesios exstitisse: Nuntio enim allato undecim symbulos (cf. cap. 39, 2) Sparta appropinquare, qui Pedarito Astyochum accusante, quod Chios non adiuvaret, ducis custodiendi causa missi erant, statim ille his cum classe obviam vectus est (cap. 41, 1): *ἐν τούτῳ δὲ ἐκ τῆς Καύνου παραγίγνεται ἀγγελία ὅτι αἱ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι νῆες καὶ οἱ τῶν Λακεδαιμονίων ξύμβουλοι πάρεισι· καὶ νομίσας πάντα ὕστερα εἶναι τἆλλα πρὸς τὸ ναῦς τε ὅπως θαλασσοκρατοῖεν μᾶλλον τοσαύτας ξυμπαρακομίσαι, καὶ τοὺς Λακεδαιμονίους, οἳ ἧκον κατάσκοποι αὐτοῦ, ἀσφαλῶς περαιωθῆναι, εὐθὺς ἀφεὶς τὸ ἐς τὴν Χίον ἔπλει ἐς τὴν Καῦνον.* Ad haec verba Holzapfel adnotat l. c. pag. 441: „Astyochus zögert hiernach, als er von der Ankunft des Antisthenes bei Kaunos Kenntnis erhalten, keinen Augenblick ihm die Hand zu reichen und so die Ueberfahrt der *ξύμβουλοι*, deren Anwesenheit ihm nur unangenehm sein konnte, zu sichern. Es ist nicht zu verkennen, dass in der Stelle eine gewisse Ironie liegt, die sich nur gegen die richten kann, die den Oberbefehlshaber der peloponnesischen Flotte der Pflichtvergessenheit beschuldigten."

Qua ratione, cum subtilis sit, facile fieri potest, ut moveamur, praesertim cum iam antea viderimus in Thucydidis libro octavo vitia existere, quae singulis relationibus non perfecte accurateque coartatis atque colligatis orta sunt. Sed ex rerum contextu aliam verbis laudatis mentem inesse mihi quidem apparere videtur. Capite enim 40. legimus Chios, quamquam Astyochus usque ad illud tempus semper recusaverat, ne eos adiuvaret, tamen denuo legatis ad eum missis

auxilium a Peloponnesiorum duce petivisse. Tum nonnullis de Chiorum periculo dictis pergit Thucydides (cap. 40): *ὁ δὲ Ἀστύοχος καίπερ οὐ διανοούμενος διὰ τὴν τότε ἀπειλήν,* (cf. cap. 33, 1) *ὡς ἑώρα καὶ τοὺς ξυμμάχους προθύμους ὄντας, ὥρμητο ἐς τὸ βοηθεῖν.* Quae verba sequitur locus supra laudatus, cui propterea mea quidem sententia haec vis inest: Astyochus cum invitus Chios adiuvare coactus esset, nuntio allato Antisthenem venire opportunitatem Chios deserendi non praetermisit, cum maioris esse momenti diceret Antisthenis naves cum suis coniungere et symbulos arcessere. Quod nisi faceret eos putaturos esse se sibi sceleris alicuius conscium esse. Ut paucis dicam, cum magnopere Astyochi interesset symbulis suspicionem non dare, optime id consequi se posse putabat, si statim eos arcesseret. Itaque verba, de quibus quaestio est, non sententiam illius esse existimo, qui de illa re Thucydidi retulit, sed verba ipsius Astyochi fuisse, quibus excusaverit, quod Chios desereret, neque tam virtuti quam utilitati Astyocho fuit, quod symbulis obviam vectus est. Qua interpretatione servamus descriptionis a Thucydide datae et eorum, quae omnino de Astyocho dixit, concinnitatem, cui confidere nobis necesse est, nisi claris perspicuisque exemplis rem aliter se habere apparet. Quare mea quidem sententia illis ex locis intellegere non possumus Thucydidem nuntios a Lacedaemoniorum parte ei allatos non accurate inter se coniunxisse.

Sed altero exemplo Holzapfel apud Lacedaemonios illos duos Thucydidis auctores fuisse se demonstrare posse putavit, quorum alter Astyocho favisset alter obtrectavisset, l. c. pag. 457 seq. Id enim spectat, ut Thucydidem bis narravisse Astyochum anno 411. conatum esse Atheniensium classem aggredi, (cap. 63,

1—2 et 79.) ostendat. Initio capitis 63. legimus Astyochum nuntio allato Chiorum ab Atheniensibus pressorum res meliore loco esse et Strombichidem, Atheniensium ducem, Hellespontum profectum esse ut Abydum Lampsacumque urbes, quae ad Peloponnesiorum partes defecerant, reciperet, postquam duabus cum navibus duodecim illas Chio insulae auxilio missas (cap. 61, 2) arcessivit, omni classe Samum vectum esse Athenienses ad pugnam navalem provocandi causa, tum autem, cum non obviam veherentur, quod inter eos mutua suspicio esset, Miletum redisse. Deinde cum capitibus inde a 63, 2. usque ad 72. de iis, quae illo tempore et iam antea Athenis acciderant, de quadringentis institutis eorumque de rebus cum Agide rege actis certiores facti simus, capitibus autem 73. usqae ad 77. ea, quae Sami in Atheniensium castris illis temporibus facta sunt, acceperimus, capite 78. demum ad rerum bello gestarum narrationem revertimur. In Lacedaemoniorum enim castris interim militum Astyochi ira apparuerat: neque antea, cum numero navium Atheniensibus superiores fuissent, eum illos aggredi voluisse neque tum, cum inter se Athenienses dissidere dicerentur neque naves eorum uno loco coniunctae essent. Quibus criminibus commotus Astyochus iterum conatus est pugnam navalem incipere omni classe centum duodecim navium contra Athenienses, qui ad Mycalem stabant, profectus. Athenienses autem neque tum ad proelium committendum inducti, quod Pelopennesiorum navium numerum nimium esse putabant, quam ut pugnam sustinere possent, Samum se receperunt. Deinde cum die postero Strombichides cum viginti quattuor navibus ex Hellesponto advenisset, Astyochus

Miletum rediit neque Atheniensibus advectis pugnam suscepit (cap. 79).

Holzapfel ergo putat ea, quae capite 79. narrata sunt, ad idem factum referri atque quae capite 63. Thucydidem eis, quae intersunt inter relationes, deceptum esse, ut bis idem factum narraverit. Quarum relationum alteram repetitam esse ab auctore Astyocho favente, alteram ab ei obtrectante.

Differunt his: si illam sequimur, Athenienses Sami esse videmus, cum Peloponnesii advehuntur, si hanc, ad Mycalem; illa refertur Athenienses pugnam non inisse, quod inter se discordes essent, hac, quod numerus navium suarum minor fuisset; illa cognoscimus Astyochum, antequam aggredi conatus est, naves duodecim antea Chium missas arcessivisse, hac ex numero navium illas duodecim iam adesse concludimus; illa Strombichidem advenisse non dicitur et Athenienses ipsos proelium provocavisse; hac propterea motus utriusque classis per duos dies fuisse, illa per unum tantum legimus.

Holzapfel ea ita interpretatur: quod hac relatione classem Atheniensium ad Mycalem fuisset illa Sami, nullius esse momenti, cum Samum non multum abesset a Mycale; quod causae Atheniensibus proelii refellendi non eaedem essent in utraque relatione, non mirum esse, quia Athenienses sine dubio utraque commoti essent, ne pugnarent, itaque factum esse ut alter Thucydis auctor hanc alter illam, quae momentum haberet, rettulisset. Quod illa narraretur Astyochum cum duobus tantum navibus illas duodecim naves Chio arcessivisse, hoc factum, quo ducis animus fortis et audacia patefieret, consilio non relatum esse hac relatione auctoris Astyocho iniqui; illa contra, duci faventis auctoris, consulto non traditum esse

Astyochum Atheniensibus, cum post Strombichidis adventum contra Peloponnesios Miletum profecti essent, obviam vehi non ausum esse (pag. 461). Quod attinet ad temporis spatium, quod non est idem utroque loco, Holzapfel non disserit. Quae omnia considerantes facere non poterimus, quin Astyochum Athenienses aggredi bis conatum esse censeamus, sicut Thucydides narrat. Neque Holzapfel aliud sensurum fuisse opinor, nisi in capite 78. legeremus verba quaedam, quibus sententia illa oriri potuit. Inter crimina enim, quibus milites Astyochum afficiunt, hoc est: eum neque antea, cum Peloponnesii Atheniensibus superiores numero navium fuissent, impetum facere voluisse neque tum, cum Athenienses inter se discordes eorumque naves non omnes eodem loco essent. Sed ei contrarium legimus in capite 63.: Astyochum paulo ante Atheniensibus pugnandi facultatem frustra dedisse atque id quo tempore iam discordes neque cum omnibus navibus Sami erant. Itaque, cum militum in Astyochum crimen iniustum videatur, Holzapfel conclusit capite 63. narratas res eodem tempore gestas esse quo capitibus 78. et 79. relatas (l. c. pag. 460), ergo utroque loco de iisdem factis Thucydidem dixisse manifestum esse. Cum autem ea sententia probari non possit, quod nimis digrediuntur relationes, illud militum in Astyochum ducem crimen quomodo intellegamus, quaeritur.

Quid enim? Peloponnesiorum exercitum Astyocho diffisum esse vel inde apparet, quod eum a Tissapherne pecunia corruptum esse putabant (cap. 50, 3. et 83, 3. cf. pag. 27.). Quare facile fieri potuit, ut, quod primum suscepit (cap. 63), simulatione et nomine tantum factum esse existimarent, praesertim cum

statim Astyochus Miletum redisset neque quicquam effecisset.

Quamquam autem eo modo militum in ducem crimen intellegere possumus, tamen Thucydidem accuratius atque planius de iis rebus acturum fuisse opus est, ut iam in capite 63. de exercitus sententiis retulisset. Quare is locus eis addendus erit, de quibus supra diximus, pag. 9. seq., quibus res et facta tam breviter narrata sunt, ut plura quam aequum est ex silentio concludere nobis opus sit.

Quibus dictis restat, ut videamus utrum ea, quae capite 63. legimus necessario repetenda sint ab auctore Astyocho amico necne. Holzapfel ipse dicit l. c. pag. 460: „Dass cap. 78—79 aus der letzteren (sc. ungünstigen) Quelle stammt, ist bereits festgestellt, mithin muss cap. 63, in dem eine bestimmte Tendenz auf den ersten Blick nicht erkannt werden kann, auf den mit Astyochus sympathisierenden Berichterstatter zurückgehen.“ Id est, quod Holzapfel putat bis eadem a Thucydide narrata esse, primum ita, ut nihil de auctoris sententia intellegamus, deinde, ut auctorem Astyocho inimicum fuisse videamus, propterea illam primam relationem ab Astyochi amico Thucydidi traditam esse censuit, praesertim cum iam altero loco hos duos auctores discrevisset.

Quae cum ita sint, etiam hoc exemplo duos a Peloponnesiorum parte Thucydidis auctores cognoscere non possumus. Omnino igitur Thucydidem fontibus constat usum esse et Peloponnesiacis, quos inter se confudit, et Atheniensibus, quorum duos non congruentes discernere possumus; Peloponnesiorum vero relationes cum Atheniensibus nonnullis locis certant. Ex omnibus autem, quae adhuc dicta sunt, haec sequuntur: Cum multa variaque insint vitia et compositionis et rerum in Thucydidis de bello Peloponnesiaco libro octavo, cum multis locis rerum scriptoris brevitate difficiles sint cognitu res, cum quaedam omnino non narratae sint res, quas maxime debebat, cum nonnullis locis sententiae inter se certent, quia nuntios sibi traditos non accurate Thucydides confudit, in dubium vocari non potest, quin liber non perpolitus sit.

II.

Jam supra, pag. 8. seq., adnotavimus libro octavo complures descriptionis rationes inveniri. Summa arte videmus Thucydidem descripsisse capitibus 1.—7. quomodo omnium Graecorum et Atheniensium et Peloponnesiorum animi nuntio acceptae in Sicilia cladis allato moti sint, quomodo utraeque partes bellum paraverint, ut egregie de rebus et partium auxiliis, quibus bellum inituri erant, doceamur. Deinde vero cum ad belli ipsius descriptionem legendam cesserimus, non omnia pari diligentia descripta inveniemus, ut supra dictum est l. c. Summa brevitate referre Thucydidem de rebus bello gestis animadvertimus, omnibus fere locis nihil nisi facta eum narrare. Planius contra accuratiusque dixit de Alcibiadis consiliis et studiis, de re publica Atheniensium commutata, de rebus ea de causa Sami apud exercitum Atheniensium gestis, de quadringentis Athenis remotis, capitibus 46.—54., 56., 63., 3.—77., 81.—82., 86., 89.—98.

De omnibus autem iis, quae his capitibus Thucydides narrat, sine dubio ab Atheniensibus certior factus est. Hae igitur relationes Athenienses, ut ita dicam, se separant a narratione rerum bello et in

castris Peloponnesiorum gestis. Quamquam res bello gestas plerumque ita narrat Thucydides, quasi qui detulit eas a Peloponnesiorum parte fuisset, tamen certo permultis locis dicere non possumus, utrum a Peloponnesio an Atheniensi quodam de his rebus certior factus sit, cum nihil fere nisi facta referat neque multum distet ab annalibus narratio. Sine dubio autem ea, quae de consilio illo Atheniensium, quo Phrynichum, ne hostium classem aggrediatur, recusare accipimus, ab Atheniensi quodam Thucydidi traditum est. Quod magna cum diligentia Thucydidem exposuisse videmus, quibus de causis Phrynichus dux pugnam navalem inire noluerit, etiam in rerum bello gestarum narratione relatio Atheniensis aliis praecellit. Nam nullo paene loco, quo Thucydidem res a Peloponnesiaco auctore traditas narrare certo dicere possumus, tantam diligentiam invenimus. Quos inter locos habere possumus ea capita, quibus de rebus in Peloponnesiorum castris gestis dictum est: 29., 36., 43., 2—4, 57., 78., 80., 83.—85., 87., et ea, quibus de Astyochi ducis consiliis docemur: 32., 40.—41., 63., 1—2.

Si has Peloponnesiacas relationes contulerimus cum Atheniensibus, inveniemus Peloponnesiacos Thucydidis auctores, quamquam sine dubio recte retulerint facta, tamen non semper satis distincte de virorum singulorum animis nuntios afferre potuisse. Vertamus enim nos ad seditionis illius descriptionem, qua accipimus Astyochum paene lapidibus a militibus iactum esse, (cap. 83.—84.). Quo loco quamvis concitate de militum in Astyochum animis Thucydides nos doceat, Astyochus ipse quo animo fuerit, utrum militum accusationes, quas supra commemoravimus, pag. 28., iustae fuerint necne, non cognoscimus. Quod diximus l. c. Thucydidem omnino certam de Astyocho sententiam nullo loco dixisse, eo factum est, quod auctores non satis certos nuntios attulerant. Itaque quaerendum est, num nos, si omnes res cogitabimus, certum de Astyocho iudicium nobis paremus.

Pag. 27. seq. quidem demonstravimus nihil obstare, quominus accusationes iniustas habeamus. Sed etiam num iustae sint cum discerni non posse videatur, Thucydides ipse rem in dubio reliquit. Tamen Holzapfel conatus est defendere a criminibus illis Astyochum. (cf. pag. 27.) Sed sane militum in eum ira iusta erat, quod semper cunctatus est neque quidquam classe atque exercitu dignum fecit. Constat enim classem eius numero Atheniensium classem per totum imperii tempus quamquam haud ita multo tamen superavisse. Nam antequam Caunum profectus est, ipse octoginta octo navibus praeerat, postea, cum Athenienses impetum in eum facerent (cap. 79.), centum duodecim: contra Athenienses iisdem temporis momentis habebant septuaginta duas et centum octo naves. Itaque ne putemus Astyochum a Tissapherne pecunia corruptum bellum eo modo gessisse, dicere nobis necesse erit eum bellum duxisse, quod animus audaciaque eum defecerunt, ut quidquam magni susciperet. Sed non semper Astyochus hac nimia diligentia inconstantiaque fuit. Initio enim cum in Joniam advenit, magnopere strenuum et industrium se praestitit usque ad id temporis momentum, quo Miletum profectus totius classis imperium iniit et cum Tissapherne, qui ibi erat, convenit. (cf. cap. 23., 1—5, 24., 6, 31., 32., 1, 32., 2—3, 33.) Legentibus mirum videtur, quod postea semper Astyochus cunctatur. Quare militum in eum suspicio, qua ducem pecunia a Tissapherne, omni modo, ne bellum celeriter conficeretur

studente, corruptum esse putabant, a vero non abhorrere videtur.

Deinde etiam altero loco apparet Peloponnesiorum auctorum nuntios non satis planos ac certos fuisse quem legimus capite 87., cum Thycydides de Tissapherne Aspendum classis Phoeniciae arcessendae causa profecto narret. Quod eorum, qui Thucydidi de ea re rettulerunt sententiae, cur Tissaphernes quamvis profectus tamen naves non adduxisset, inter se certabant, rerum scriptor propriam addidit sententiam: alios dixisse Tissaphernem eo profectum esse, ut res produceret, alios naves eum arcessere voluisse, ut Peloponnesiorum naves dimittere posset, alios hoc iter factum esse, quo Spartae famam suam restitueret: ipsum autem iudicare belli ducendi causa iter factum esse neque eum Peloponnesiis classem adducere in animo habuisse, quod tum Atheniensibus superiores illi bellum conficere possent antequam ipsi satis bello comminuti essent. Quod Thucydidis iudicium, cum rebus respondere videamus, non dubitamus rectum esse putare.

Accedamus nunc ad relationes Athenienses. Cum videamus complures Atheniensium viros accurate a Thucydide depictos esse, apparet materias, quibus usus est rerum scriptor, uberiores fuisse. Phrynichi quidem, Alcibiadis, Antiphontis, Theramenis naturae animique satis explicati sunt (cf. quae dicta sunt de Phrynicho cap. 27., 48., 4, 50., 1, 68., 3, de Alcibiade cap. 45. seq., 56., 3, aliis locis, de Antiphonte et Theramene cap. 68.). Unde autem Thucydides materiam nactus sit, nescimus, nisi quod ipse in capite 68. dicit se legisse orationem illam Antiphontis nunc amissam περὶ τῆς μεταστάσεως. Atqui nequaquam errabimus si eum ab amicis Athenis et apud exercitum Sami

commoratis nuntios de illis viris et rebus gestis accepisse coniciemus. Quin etiam verisimile videtur eum, qui de Alcibiade Thucydidi retulit, usu cum illo viro coniunctum fuisse. Nam ea, quae de Alcibiadis factis legimus, cum accuratissime descripta sunt tum eius in Athenienses merita in maius aucta esse videntur.[26] Thucydides enim ipse tribus locis adnotat Alcibiadem auctoritatem suam Tissaphernis in maius extulisse, quod Athenas redire concupivisset, cap. 56., 3, 81., 2, 82., 3. Tamen accidit, ut de Tissaphernis animo consiliisque in errorem induceretur iis confisus, quae ab Alcibiade dicebantur Tissaphernem Peloponnesiorum timore commotum foedus cum Atheniensibus inire cunctatum esse. Vidimus autem pagina 23. eum non Peloponesios sed Athenienses superiores putasse. Quodsi hac in re Alcibiadem Atheniensibus non verum dixisse intellegimus, factum esse potest, ut etiam aliis in rebus in falsum auxerit auctoritatem et merita sua.

Quocunque modo res se habet, Thucydides quidem illa de Tissaphernis animo sententia commotus alio quoque loco non satis accurate descripsisse videtur, cur acciderit, ut Tissaphernes a foedere cum Atheniensibus ineundo abhorruerit, cap. 56.

Ad id scilicet demonstrandum paulo planius de rebus dicere nobis necesse erit.

Cum omnibus temporibus Persarum interfuisset — atque etiam bello confecto eorum interfuit — Asiam et Joniam regno addere, per mare Aegaeum imperare, Tissaphernes et Pharnabazus satrapae plerisque earum regionum urbibus societate cum Atheniensibus coniunctis, ut Lacedaemonios socios sibi pararent, studebant Atheniensium imperii delendi causa. (cap. 5.

26. Cf. Holzapfel l. c. pag. 454. seq.

et 6.) Tissaphernes igitur societatem consecutus ea ad propriam utilitatem utebatur. Quod enim Peloponnesiis pecunia Persarum opus erat, ea re commodum sibi capere conatus est, atque etiam magis id fecisset, nisi Pharnabazo aemulante coactus esset Peloponnesiis nonnulla concedere. Deinde cum Peloponnesii non contenti condicionibus foederum a Chalcideo et Therimine factorum aliud foedus a Tissapherne postularent, is ab illis ad Athenienses se avertit, quibuscum foedus iniret, Alcibiade auctore, qui se Athenas redire posse sperabat, si Tissaphernem socium adduxisset. Rebus vero frustra actis rursus ad Peloponnesios venit. Cur foedus cum Atheniensibus non perfectum sit, Thucydides dicit: Alcibiadem Tissaphernis nomine locutum plura ab Atheniensibus poposcisse, quod vidisset Tissaphernem re vera Peloponnesiorum metu ductum foedus cum illis inire noluisse. Cum enim ab Atheniensibus omni modo talis haberi voluisset, qualis quaecumque vellet, apud Tissaphernem auctoritate sua valeret, plura postulantem ita rem eum vertisse, ut dicere posset Tissaphernem quidem se auctore ne foedus iniret non recusavisse, sed Athenienses. Quae Alcibiades poposcerat, haec erant: ad 1: Athenienses Joniam, insulas, alia regi Persarum concederent, ad 2: classi regiae quocunque vellet vehi liceret. — Sed quid? Nonne Persae ea ipsa studebant? Nonne ad haec impetranda cum Peloponnesiis foedus inierant? Qui cum haec concedere nollent, (cf. cap. 43., 3) Tissaphernes se averterat ad Athenienses. Itaque quae Thucydides nimia Alcibiadem propter utilitatem suam postulavisse dicit, profecto Tissaphernem postulavisse putabimus.

Deinde non neglegamus commemorare Thucydidem Athenienses relationes secutum non recte de-

scripsisse, qui factum esset, ut quadringentorum Athenis imperium anno 411. institueretur, quamquam ipse magnopere operam dedit, ut quam accuratissime narraret. Postquam enim Aristotelis opusculum, quod scripsit de Atheniensium re publica, repertum est, dubitari non potest, quin non omnia ita acciderint, quae a Thucydide tradita sunt, ut plane accurateque demonstraverunt U. von Wilamowitz-Moellendorf, Aristoteles und Athen I, pag. 99 seq. et U. Köhler, Sitzungsberichte der Berliner Akademie 1895 pag. 451 seq.[27]

U, Köhler l. c. opinionem protulit Thucydidem de iis rebus ab Atheniense quodam [a quadringentis Athenis expulso nuntios accepisse. Ac profecto, si Aristotelis narrationem contulerimis, Thucydidem ita res descripsisse inveniemus, ut optimatium iniuria in maius aucta sit.

Denique si composuerimus ea quae dixit capite 27., 5 de Phrynicho: *ἔδοξεν οὐκ ἐν τῷ αὐτίκα μᾶλλον ἢ ὕστερον οὐκ ἐς τοῦτο μόνον ἀλλὰ καί ἐς ὅσα ἄλλα Φρύνιχος κατέστη οὐκ ἀξύνετος εἶναι* cum iis, quae [Lysias] 20., 11 de eodem viro professus est, dubitari potest, an illius iudicium melius sit. Quare Thucydidis de Phrynicho iudicium ex viri Phrynicho parte coniuncti relatione, fortasse ex Antiphontis oratione *περὶ τῆς μεταστάσεως* derivatum est.

27. Quae contra horum iudicium scripsit E. Meyer, Forschungen II, pag. 406 seq., quamvis splendida, tamen nequaquam probabilia sunt, ut iis, quae contra Meyer postremo exposuit U. Köhler, l. c. 1900 pag. 803 seq., elucet; neque alia de causa Meyer Aristotelis narrationem repudiat, quam quod Thucydidis librum octavum perfectam esse vult, cum omnes difficultates, etiam quae praeter illam insunt, levantur, si eo iudicio discedimus.

Quae cum ita sint, videmus eas libri octavi partes, quas Athenienses relationes secutus composuit Thucydides, quamquam vivaciores sint, saepe eorum, qui retulerunt, de rebus publicis vel personis animos plus quam par sit descriptioni integrae ostendere.

Neque tamen propterea Thucydidis narrationem parvi aestimabimus. Inprimis quod imperium populi Athenis alio modo commutatum esse Aristotelis libelli documentis demonstratur, tamen sine dubio recte ac magna arte dixit, quibus animis tum essent Athenis cives, Sami milites, ut optime res illas et tempora mente repetere possimus.[28] Qua ratione Athenienses relationes etiam meliores sunt Peloponesiacis, quae, etsi rectiores, non erant tales, ut Thucydides accuratius ducum Peloponnesiorum in Asia consilia studiaque perspicere posset.

III.

Quod supra intelleximus Thucydidem in libro octavo scribendo compluribus relationibus usum nonnullis locis bis eadem retulisse ita, ut sibi repugnent, et aliis locis sententias non accurate confudisse, non satis est dicere ea evenisse propterea, quod liber imperfectus neque perpolitus sit, sed quaerendum erit, unde factum sit, ut hoc libro quamquam imperfecto Thucydides singulorum auctorum relationes non diligentius pertractaverit. Nam rerum scriptori gravius crimen dare non possumus, quam si eum materiam commentariosque

28. Cf. Wilamowitz, Arist. u. Ath. I, pag. 107.

tanta neglegentia composuisse diceremus neque, cur factum sit, simul ostenderemus.

Transeamus igitur ad illas stipendii a Tissapherne minuti narrationes (cap. 29. et 45.), de quibus diximus pag. 21. seq. et pag. 23. seq. Vidimus alteram inesse rerum bello gestarum descriptioni, alteram narrationi studii consiliorumque Alcibiadis. Differentias autem fieri non potest, quin Thucydides animadverterit, et, si eodem tempore aut paulo tantum temporis spatio intermisso utramque libri partem scripsisset, eum differentias sublaturum fuisse colligere oportet vel simili modo ut postea, cap. 87., in Tissaphernis Aspendum itineris narratione uno minimum verbo fuisse dicturum duos de stipendio minuto commentarios exstitisse. Itaque cum huiusce modi nihil inveniamus, contendimus illos de Alcibiadis apud Tissaphernem studiis nuntios Thucydidem tum demum accepisse, cum iam alteram illam rerum gestarum descriptionem scripsisset. Qui quidem narrationis ordo, quo caput 45. posterius quam caput 29. scriptum esse dicitur, propterea pro certo haberi potest, primum quod hoc invenitur una cum rerum bello gestarum narratione, quam verisimile est Thucydidem prius composuisse, cum totius descriptionis fundamentum sit, quam studia consiliaque Alcibiadis, deinde quod capitis 45. ralatione, cum diligentior sit, quia, cur stipendium minueretur, dicitur, altera capitis 29. suppletur.

Eodem modo intellegere possumus, quare Thucydides bis narraverit Alcibiadem exercitum magna ira oligarchum inflammatum prohibuisse Athenas proficisci cap. 82., 2, et 86., 4. (cf. pag. 29 seq.) Uter locus posterior scriptus sit, utrum in capite 82., an in capite 86., non est difficile diiudicatu. Cum enim caput 45., quo plura de Alcibiade accipimus, posterius quam 29. scrip-

tum sit, etiam caput 86., posterius quam 82., scriptum erit, quod capite 86. de Alcibiade accuratius docemur.

Restat, ut intellegamus dicrepantiam Tissaphernis animi, quae unde effluxerit, pag. 22. seq. diximus.

Tissaphernem Peloponnesios timuisse, quod superiores Atheniensibus eos putasset, legimus duobus locis, in capite 52., 1 et in capite 56., 2, quibuscum consentit, quod in capite 46., 5 scriptum videmus, Tissaphernem Peloponnesios pugna navali prohibuisse, quamdiu superiores fuissent. Qui loci insunt talibus libri octavi partibus, quibus narrantur, quae Alcibiades ad rerum progressum contulerat. Contra illa altera his repugnans de Tissaphernis animi sententia, quam in capite 57., 1 legimus, satrapen Athenienses timuisse, in tali parte invenitur, in qua nihil ad Alcibiadem pertinens scriptum videmus. Itaque cum iam duobus exemplis apparuerit, accuratiores de Alcibiade nuntios posterius demum Thucydidem accepisse, etiam quod discrepant, quae dicta sunt de Tissaphernis animo, ea re ortum esse manifestum est.

Quod autem ex illis de Alcibiade accuratioribus nuntiis sequebatur, ut is vir non afuisset a rebus Athenis commutatis, opus est Thucydidem eas libri octavi partes aut retractavisse et correxisse aut tum demum scripsisse, cum illi de Alcibiade nuntii ei allati essent. Neque minus etiam de quadringentis remotis narrationem postea auctam esse constat, quod vidimus caput 86. posterius scriptum esse quam caput 82. (cf. pag. 43. seq.) Praeterea, quod cum illis quoque rebus Alcibiadem adeo coniunctum esse demonstratur narratione, vel si id argumentum deesset coniceremus Thucydidem de Alcibiade nuntiis, certioribus allatis illarum rerum gestarum descriptionem correxisse.

Quae cum ita sint, hoc modo librum octavum scriptum esse consentaneum videtur: Rebus inde ab Atheniensium in Sicilia accepta clade usque ad anni 411. autumnum gestis breviter descriptis Thucydides, cum postea de Alcibiade eiusque et apud Tissaphernem et apud Athenensium exercitum studiis accuratius certior factus est, librum octavum non modo auxit, sed etiam eas partes, quas nuntiis nuper allatis potissimum corrigi necesse fuit, retractavit. Quare factum est, ut in libro octavo legendo duas descriptionis rationes inveniamus, ut supra pag. 8. seq. adnotatum est: nam cum harum rerum gestarum descriptione prima, ut ita dicam, libri adumbratio appareat, illarum eam ferme formam cognoscimus, qua totum librum, si auctor eum pertractasset atque perpolivisset, futurum esse verisimile est.

Quando autem liber scriptus vel potius retractatus sit in eum statum, quem nunc videmus, ut decernatur, mihi quidem fieri posse videtur.

Plerumque illa ab veterum iam auctoribus tradita sententia etiam nunc probatur a viris doctis, qua Thucydides morte impeditus esse dicitur, ne opus conficeret. Librum octavum autem ultimum fuisse, quem scripsisset vel inde apparere, quod subito narratio interrumperetur. Sed quamvis simplex probabilisque haec sententia videatur, quia optime ea, quare media abrumpatur narratio explanaretur, tamen nonnullis rebus eam falsam esse apparet.

Ac primum quidem, quod iam Breitenbach ostendit[29], nullo modo demonstrari potest, Thucydidem, cum librum octavum scriberet, belli exitum cognovisse; deinde contra habemus, quod ante annum 404. eum scriptum esse putemus.

29. Jahrbücher für Philologie 1873, 192 ff.

Anno enim 404. Thucydidem ex exilio Athenas redisse scimus, quod ipse in libri quinti capite 26. dicit: *ξυνέβη μοι φεύγειν τὴν ἐμαυτοῦ ἔτη εἴκοσι μετὰ τὴν ἐς Ἀμφίπολιν στρατηγίαν.* Si tum demum librum octavum scripsisset, non solum ab amicis certior fieri potuit de rebus Athenis gestis dum ipse exul fuit, sed etiam facultas ei data esset actis publicis discere, quomodo res se habuissent. Nam eum omnino actis publicis usum esse e multis operis locis apparet, quos enumerare singulos longum est, commemoro autem documenta illa et huius et quinti libri. Inprimis in statu rei publicae anno 411. commutato describendo acta publica, quod ei magnae utilitati fuissent, certe non neglexisset, praesertim cum magnopere studuerit, ut quam accuratissime de illis rebus nos doceat. Itaque si tamen ad has res eum actis publicis non usum esse cognoscimus Aristotelis libello, quem scripsit de re publica Atheniensium, in quo, cum statum rei publicae commutatum narret, acta publica ad illas res spectantia si non verbis descriptis tamen refert (cap. 29.—32.), quibus non recte Thucydidem de his rebus retulisse apparet (cf. supra pag. 40 seq.), certum est auctorem illa acta publica non cognovisse, cum librum octavum scriberet: sequitur, ut Thucydides nondum Athenas redierit, cum scripsit. Atque eo magis hanc sententiam rectam esse putabimus, quod illa altera, qua in scribendo quasi libro octavo Thucydidem mortuum esse dicitur, nulla re adiuvatur, nisi ea, ut a veteribus tradita sit, qui ipsi nil certi de ea re sciebant.

Quae cum ita sint, ego quidem iis assentire non possum, quae Kirchhoff ratus post annum 404. scriptum esse librum octavum dixit, Thucydidem

documenta illa foederum inter Persas Peloponnesiosque factorum bello confecto demum cognovisse.[30] Tamen documenta, quae legimus capitibus 18., 27., 58., non eo tempore narrationi addita esse, quo primam rerum gestarum descriptionem auctor scripsit, sed postea cum descriptione coniuncta esse puto, cum novis nuntiis cognitis eam auxit. (cf. pag. 45.)[31] Jam supra enim, pag. 11. seq., commemoravimus mirum esse, quod Thucydides, antequam documentum retulerit tertii pacti capite 58., non Hieramenem satrapen et Pharnazi filios, inprimis Pharnabazum, affuisse consiliis dixit, atque nunc addam eum neque quo loco res agerentur appellavisse, ut, nisi forte documento experiremur, et nesciremus illos viros affuisse et ad Caunum promonturium res actas esse putaremus, quo Tissaphernem profectum esse in capite antecedente legimus. Si igitur eo tempore, cum primum res bello gestas narravit Thucydides, iam foederis documentum cognovisset, materiis ei datis non bene usus esset descriptioni. Qua de causa documentum postea additum esse verisimile videtur. Quod autem auctorem cetera documenta, quae legimus capitibus 18. et 27. prius cognovisse quam hoc, vix credibile est, etiam illa postea demum addita esse non negem. Quae sententia non eo confutatur, quod capitis 43. paragrapho 3. accipimus Thucydidem de documentis et primi et alterius foederis doctum fuisse, cum hunc locum scripsit. Inde potius apparet auctorem aut,

30. Kirchhoff, über die von Thucydides benutzten Urkunden, gesammelte akademische Abhandlungen, Berlin 1895, pag. 128 seq. Cum autem Kirchhoff ipse non repugnet, ne fieri potuerit, ut bello nondum confecto auctor illa documenta cognosceret (l. c. pag. 142) non opus est mihi id demonstrare.

31. Cf. U. von Wilamowitz-Moellendorf l. c. I, pag. 106.

cum primum res gestas descripsit, pacta cognovisse, verba non cognovisse, aut eum postea, cum retractavit librum, usum esse iis, quae his duobus documentis allatis intellexerat; si librum octavum perfecisset atque perpolivisset, etiam iis, quae tertio documento apparebant, usus esset descriptioni.

Sed tantum abest, ut his cognitis contenti simus, ut contra quaeramus, quando et a quo Thucydides de documentis certior factus sit.

Ac Kirchhoff quidem documenta ipsa ab initio aut lingua Persica aut Doria aut Attica scripta fuisse contendit; Persica autem non verisimile esse. Quodsi Doria, Thucydidem ea iam in Atticam translata accepisse, cum documenta Doria ea lingua traditurum eum fuisse ex libri quinti documentis appareret (cf. V, 77. et 79.). Sin ab initio Attica lingua scripta essent, quod Kirchhoff putat, neminem nisi Alcibiadem ea concepisse. Sed praeterquam quod id vix credibile est[32], nonne hoc longe probalissimum videtur, documenta ab initio lingua Jonia scripta fuisse? Per Jonios interpretes Tissaphernes cum Peloponnesiis res egit, ut e capite 85., 2 cognoscimus, quo loco Gaulitem bilinguem Carem hominem a satrapa Spartam missum

32. Quibus temporibus alterum et tertium foedus facta sunt, Alcibiades cum Tissapherne ita communicavit, ut eum documenta concepisse putari posset, nisi Peloponnesiis Chalcideo mortuo (cap. 24., 1) tam invisus fuisset — quomodo eum extinguerent studebant (cap. 45, 1) — ut fortasse consiliis Tissaphernis et Peloponesiorum non interesset, nedum documenta conciperet. Cum primum foedus cum Tissapherne ictum est, Alcibiades, quamquam ut Chalcideum consilio adiuverit, factum esse potest, tamen, quod quasi homo privatus sine ulla potestate in Ioniam venerat, documentum non concepit.

esse narratur. Quae documenta Jonia ab Atheniense quodam rerum scriptori tradita esse vel inde apparet, quod Attica lingua retulit ea Thucydides: nam cum documenta Doria libri quinti Doria lingua retulerit, dubitari non potest, quin etiam huius libri documenta Jonia ea lingua relaturus fuerit, si ei datae essent.[33] Persa autem vel Peloponnesius certe hoc fecisset. Itaque Thucydides documenta foederum in Atticam linguam translata ab Atheniense quodam repetivit.

Unde autem Athenienses documenta habebant? Nemo erit, qui neget Alcibiadem de iis bene eruditum esse potuisse. Qui cum studere inciperet, ut Athenas rediret atque ea de causa cum Sami Atheniensibus res ageret, facile fieri potest, ut Atheniensibus documentorum exempla traderet. Quo quoque modo optime intellegimus Thucydidem ea posterius cognovisse, quam primam rerum gestarum descriptionem scripsit. Una enim cum illis de Alcibiade accuratioribus nuntiis, nisi forte per eundem virum, Thucydides, ut documenta acciperet, factum erit.

Sed redeamus ad illa, quae diximus de tempore quo liber octavus scriptus sit. Nunc quidem intra temporis spatium, quod includitur annis 410. et 404. id factum esse dici potest. Illo enim anno Hermocrates e Syracusis in exilium pulsus est, (cf. Xenophontis Hellenica I, 1., 27 seq.) qua de re Thucydides dixit in capitis 85. paragrapho 3. Quamquam autem tempus paulo accuratius certo decerni non potest. tamen sententiam proferre audeamus. Vidimus enim

33. Si liber octavus perpolitus esset, eo, quod Attica lingua documenta Jonia a Thucydide tradita sunt, non demonstraretur ipsum ea non transtulisse, si modo ea condicione ipsis verbis documenta in libro inessent. Cf. Wilamowitz, Hermes XII, 338, 1 et Norden, Antike Kunstprosa I, pag. 88.

Thucydidem descriptionem rerum gestarum auxisse et partim correxisse, cum novi nuntii ei allati essent, qui in Alcibiadem spectabant. Alcibiades autem cum iis temporibus, quibus gestae sunt res a Thucydide libro octavo narratae, omnium oculos in se convertit, tum postea cum classi Atheniensium praefectus bellum gereret et anno 407. Athenas revocaretur. Tum sane omnem spem Athenienses in eo posuerant, eum unum bellum feliciter confecturum esse sperabant. Illis igitur temporibus, cum omnium animi propter Alcibiadem vehementer agitati essent et illos accuratiores de eo nuntios Thucydidi allatos et rerum gestarum primam adumbrationem auctam esse opinor.

Denique quod nonnullas res a Thucydide in libro octavo alias non satis plane alias etiam non recte descriptas esse cognovimus, non est, cur auctoris fidem omnino suspicioso animo contemplemur.[34] Hoc enim libro aliud iudicium adhibebimus ac perpolitis, quia minime perfectus est, neque consulto cogitateque auctor res illas aut non satis accurate aut non recte nobis traditit. Quas enim primo commemoravimus inconcinnitates omnes in iis libri partibus inesse videmus, quas ad primam brevem rerum gestarum descriptionem referre possumus, tum sequuntur vitia, quae eo orta sunt, ut omnino non sibi paraverit nuntios de nonnullis haud ita levibus rebus, tum quae eo, ut nondum accurate aut Peloponnesiorum et Atheniensium, aut primas et novas relationes inter se confuderit auctor. Quod deinde de quadringentis Athenis institutis non recte certiores nos fecit, Thucydidi crimini dare non licet: ipse enim

34. Coll. Ed. Meyer, Forschungen zur alten Geschichte II, pag. 412 seq.

procul ab urbe erat, cum haec descripsit, ut eorum, quae ei relata sunt, fidem explorare non posset. Restat igitur, ut eum de Tissapherne cum Atheniensibus consulente non recte tradidisse nos contendamus (cf. pag. 39. seq.). Quodsi cogitamus de Tissaphernis animo sententias omnino non congruere (cf. pag. 22. seq.), sperare nobis licet Thucydidem hoc quoque vitium expediturum fuisse, quia in toto libro retractando inprimis de Tissapherne denuo inquirere ei opus fuit.

Sententiae controversae.

I.

Horatii satirarum libri primi decimae initium a poeta abiudicandum non est.

II.

Versus Horatii, sat. II, 3., 260 seq. non e Terenti Eunucho sed e Menandri prototypo derivandi sunt.

III.

In Suetonis vita Horatii verba: *nam speculato cubiculo* q. s. genuina esse censeo.

IV.

Thucydides VIII, 83, 3: verba *καὶ εἰ μή τις ἰδίᾳ ναυμαχήσει ἢ ἀπαλλάξεται ὅθεν τροφὴν ἕξει κ. τ. λ.* recte in codicibus tradita esse contra criticos contendo.

V.

Periclis dictum a Plutarcho traditum (Pericles cap. VIII). *τὴν Αἴγιναν ὡς λήμην τοῦ Πειραιῶς ἀφελεῖν κελεῦσαι* initio belli Peloponnesiaci dictum est.

VI.

Quod Botho Graef scripsit (Hermes 1901) Scythas pudenda noluisse nudari affirmatur iis, quae de barbaris legimus apud Herodotum I. 10.

VII.

Vasa picta „Chalcidica" Chalcide facta esse, quod scripsit Furtwängler (Furtwängler-Reichhold pag. 60), propter inscriptiones non verisimile est.

VIII.

Quae exhibet papyrus Musei Britannici 137. publicata per Kenyon (Revue de philologie 1897 pag. 1) ad Spartam non spectant: *]παραλαβόντες καὶ διφθέραν καὶ καρβατίνας εἰς δύ' ἔτη διαμένουσιν ὑδροποτοῦντες καὶ νιφόμενοι . . . . Ἡγησίλαος δὲ ὁ Λάκων κατεπλή[γη* . . . .

Vita.

Natus sum Kurt Samuel Walther Prenzel Cottbusiensis patre Theodoro matre Paulina Zippel IV. non. oct. anni 1879 evangelicae fidei adscriptus. Instructus sum gymnasiis Bielefeldensi et Meursio, unde anni 1898 mense aprili maturitatis testimonio ornatus Heidelbergam profectus inter cives academicos almae litterarum Ruperto-Carolae receptus sum. Inde mense octobri anni 1899 Friderico-Guilelmam almam litterarum Berolinensem petivi, ubi usque ad id tempus studiis philologicis operam dedi. Docuerunt me viri clarissimi Heidelbergenses: Baumstark, Brandt, Braune, Crusius, Erdmannsdörfer †, Cuno Fischer, Schneegans, Fr. Schöll, Sütterlin; Berolinenses: Diels, Graef, Heinze, Hirschfeld, Kalkmann, Kekule de Stradonitz, Köhler, P. M. Meyer, Scheffer-Boichorst †, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Winnefeld, Wölfflin. Heidelbergensis seminarii philologici magni ducis per sex menses sodalis fui, ad exercitationes me admiserunt philologicas Brandt, proseminarii Berolinensis Diels, de Wilamowitz-Moellendorff, Heinze, historicas Hirschfeld, Köhler, archaeologicas Graef, Kalkmann, Kekule de Stradonitz, Winnefeld; palaeographicas P. M. Meyer.

Omnibus iis viris multum debeo, Udalricum Köhler autem ea, qua par est, reverentia colo; illo vero valetudine correpto quam benevolenter U. de Wilamowitz-Moellendorff studia mea foverit nunquam obliviscar.